



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

XLIII. Sisaræ Cha[n]anæi Ducis fatalis haust[us].

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

Aforis, unum ex illius Jabini posteris, qui maximum, contra Josuem, bellum annos ante centum, & quadraginta conflaverat. Hic sive angustos imperii fines prolaturus, sive avitam ignominiam deleturus, continuatis viginti annorum cladibus contumaces Iudæorum cervices attrivit, uti mox nar-  
rabimus.

NARRATIO XLIII.

SISARÆ CHANA-  
NAEI DUCIS, FATA

LIS HAUSTUS, ET SOMNUS.

Judic. 4. Anno Mundi 1741. Ante Christum 1312.

**B**aracus, quartus Hebræorum Prætor, luculentam, de Sisara Philistæo victoriam reportavit; cujus susceptæ, & perfectæ laus omnis, penes mulieres fuit. Nam & *Debbora* Prophetis, ad castra profecta, Baracum in hostem immisit; & *Iabal* fugientem Sisaram, haustu lactis consopitum, trabali clavo transfixit. Quippe fæminæ, quocunque se vertant, semper immodicæ, vel extrema vitia, vel virtutes summas persequuntur. Historiæ narrationem hanc accipe.

Vigesimalium jam annum ingemiscebant Hebræi, sub *Iabini*, quod supra, indicavi, *Aforæorum* in Chananitide, regis, supremique copiarum ejus Ducis *Sisaræ*, duris imperijs, & acerba servitute. Libertatis  
M 2  
pristi-

pristinæ vindicem enixè flagitantibus à cœlo, DEUS salutem per fœminas tulit. Erat eâ tempestate divinitus afflari sueta, Debbora vidua, (juxta mentem D. Ambrosij) post virum è vivis sublatum, totum Numini mancipata; quam DEUS Prophetidem repente suscitavit, jam non ad responsa tantum, & jura; sed etiam adversus tyrannum, arma danda præsentique ductu tractanda. Et quia, postquam Sacris exciderant Hebræi, robur quoque gentis collapsum erat; placatum supplicijs Numen, existimans lavit præcipuo quodam impetu tributum quorundam Duces, præsertim *Baracum*; qui hortatrice *Debbora*, comparato decem millium exercitu in hostem movit, adjunctaque sibi expeditionis comite Prophetide, montem *Thaborem* cum copijs infedit, exiturus ad bellum *Sisaram*, summum rei militaris, apud *Jabinum* regem, præfectum. Ad quem ubi perlata est fama defectionis *Baraci*, & montis *Thaboris* manu non maxima occupati; quanta potentia festinatione contraxit ingentem militum manum, cum nongentis curribus falcatis, & maximo belli apparatu; montemque *Thaborem* circumfedit. Non fefellit *Baracum*, ejusque militem, instantis magnitudo periculi: quippe quibus *Thaboris* è vertice despectantibus, hostium esset omnis in conspectu multitudo. Formidinem tamen eis *Debboræ* Prophetidis eximebat, non oratio tantum, sed & omni facundior eloquiô, comitatus. Non minus *Sisara* Dux, curru sublimis, aurô gemisque conspicuô, agminibus obvolitans, instigabat omnes ad conflictûs audaciam.

Cæ

Cæterùm Baracus victoriæ minimè dubius, cun-  
 dorum militum animos, novo quodam subeunte  
 robore, instructa cum acie, receptâ in medium agmi-  
 nis Debborâ, se demittit ex altiore loco, in Chana-  
 neos, tempestatis ritu, ferociter invehitur, sibi que  
 per obstantes, latè viam ferrô patefacit; strenuè  
 Ducem sequente milite, & cœlo quoque, nimbô,  
 grandine, dejectis flammarum globis ac facibus;  
 Angeloque districti gladij fulmine, vultusque for-  
 midabili splendore, terribiliorem hostibus Baracum  
 reddente. Jâmque perruptis hostium cuneis, &  
 agminû, turmarûmque disjectis ordinibus, fluctua-  
 re barbarorum acies: turbari signa, dissolvi pede-  
 stres ordines, & equestres alæ; dispersæque per in-  
 certum volitare paventium hostium legiones: &  
 implicari, mutuò se turbantium agmina bellato-  
 rum; simul tellure contremiscente, nutante solo,  
 silvis ac rupibus horrendùm sonantibus, fremente  
 Cuvone flumine; cœlo tonante, mistisque flammæ  
 fulguribus auram incendente: punctô penè tempo-  
 ris omnia procella fiebant, corporûmque strages u-  
 na. Ruere milites, duces, equi, virique, falci-  
 gerique currus; quos incussus cœlo terror, lym-  
 phatis, attonitisque similes, cum jumentis, & infel-  
 soribus & quadrigarum agitatoribus; partim per  
 plana retro; partim per præceps in flumen: alios  
 in obvia rupium, valliumque sursum ac deorsum  
 raptabat: diffractis falcium ac telorum cuspidibus,  
 & immani cum sonitu, rotis in frustra dissultantibus.  
 Sifara cum frustra turbatam aciem restituere co-  
 natus esset; surdas enim aures habet pavor; despe-  
 ratas omnibus, fugæ Consilium ipse quoque cepit;

M 3

ne

ne verò noscitur, aureo defilit curru, abjectoque  
 paludamentò, cum cæteris imperatoris insignibus  
 pedestrem init, & incomitatam fugam, nulli facile  
 nisi se familiariter olim uso, deprehendendus. In  
 fugiendi festinatione, desertur ad tentorium cuius-  
 dam *Haben* natione *Cinai*; ( qui sub pellibus habitare  
 solent.) cujus uxor *Iabel* ( maritus cum servis abe-  
 rat domò ) currentium pedum excita sonitu, cum *Sa-  
 saram* conspexisset, suspicata, quod res erat, cum  
 malè pugnato prælio fugere, metum omnem  
 bet ac diffidentiam ponere, inque tentorium bla-  
 diffimis verbis invitat. Qui partim suaviter ser-  
 monis demulsus, partim confusus amicitia & fa-  
 dere, contracto *Jabinum* inter & *Cinæos*, ( *Jethro*  
 nis posteros, *Mosis* cognatos, *Aradæa* deserta sparsim  
 sub papilionibus incolentes ) succedit tabernaculo  
 & ut lateret tutiùs, in abstrusiolem seductus locum  
 operitur stragulo, excubias semetipsam ante ten-  
 torij fores obituram esse, *Jahele* promittente. Prius  
 tamen, quam is in somnum se componeret, lon-  
 gissimæ viæ cursibus exhaustus, sitique per fugæ  
 laborem confectus, potionem flagitat frigida; illi  
 indulgentior, quàm petatum erat, ex utre coriaceo  
 lac recenter expressum, in phiala præbet. Inde  
 pore altissimo captum, conspicata; sumptis animis  
 ultura communem *Numinis*, gentisque *Hebræarum*  
 hostem, clavum ferreum prælongum, quò taber-  
 naculorum tensi funes solò depanguntur, tollit hu-  
 mò: alteraque manu correpto fabrili malleo, suspen-  
 sioque molliter incessu, per summum oris ac pedum  
 silentium accedit ad *Sisaræ* sopitum caput; vul-  
 nerique designans locum, paxillò ferreò validissimè

per tempora transfactō , terræ caput affigit. Hoc HABET. Adversus injustam tyrannorum vim, dolō iustō pugnatum est, clavusque ( quod in adagijs fertur ) clavō pulsus. Supervenienti deinde Baraco Duci, Tragædiam actam, dimotō sipariō, per compendium Jahel aperit: eumque, quem is tot laboribus, per montes, vallésque quæsisset hostem, monstrat in plano jacentem, & quasi per otium infelici sempiternoque somno stratum. Ita virago generosa, verborum nullâ jactantiâ, factō nudō probavit; prophetidem docuisse vincere: Baracum vicisse; se verò, victoriam, in corpore Sifaræ defixo trophæo, coronavisse.

NARRATIO XLIV.

INAVDITA GEDEONIS DE MADIANITIS

VICTORIA

Judic. 6. 7. A. Mundi 2768. Ante Ch. 1285.

**E**Uripo similes fuere Iudæi, fluebant & refluebant. Jam DEum, jam Deos colebant, toties bello castigandi, quoties emendandi. Post Debboræ, Baracique mortem, gens Hebræa more suo ad sacrilegam Deorum superstitionem est revoluta, erectis Jovi Belo passim aris, lucis simulacris. Offensus populi perfidiâ DEus, instrumentum vindictæ facillimum reperit, & immisit è propinquo Madianitas, Ammonitas, Moabitas, Amalecitas, ac cæteros ad Orientem incolentes populos; qui transito Jordane, maxima peditum, equitum